Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1715) Lisez 1415

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ Martii.

M. NICOLAO RICHARD, Doctore Medico, Præſide.

An ad retardandam Senectutem Hilaritas?

VITA humana quibuſdam brevis, aliis brevior, nonnullis breviſſima: qui eâ benè utuntur, illis longa eſt & delectabilis, licet multis plena malis & non paucis obnoxia morbis: brevis illis qui ſuo vivunt genio, non enim optima vivendi lex ſua unicuique conſuetudo, neque propter conſuetum vivendi modum aliis longæviores ſumus: brevior non paucis, qui neglectis medicinæ legibus ac præceptis vivere gloriantur; incauta inſalubriſque victus ratio vitam breviorem facit, & qui medicè vivit non ſemper brevi tempore vivit, licet vitam ducat difficilem & moroſam: multis aliquantulùm breviſſima vel hæreditario jure, vel propter viſcera malè morata quibus ut vita in longum prorogetur, incaſsùm laborat medicus: naturæ vitia vix emendari poſſunt. Apage ergò qui ſua venditant ſecreta ad vitæ longitudinem; qui nulla methodo nullaque ratione ductus, nec experientiæ munitus fide, morbos ſuſcipit curandos, negotiari animas noſtras, non morbis mederi dicendus eſt. Qui ſenio confectum hominem, rugosâ præ ſiccitate, facie ſquallentem, præ frigida pituitâ canitie contectum, artuum torpore vacillantem (hæc omnia langueſcentis naturæ infelicia decrementa) feliciter & extrà naturæ modum cum juventâ commutare poſſe contendunt, delirant. Senes juventute novâ floreſcere ac renovari impoſſibile eſt. Myrobalanos Indos ſed præcipuè Cebulos ſaccharo conditos, & ad retinendam ac remorandam ſenectutem plurimùm valere credat Empiricus, non Dogmaticus Medicus.

VITAM hominis brevem eſſe ignorat nemo, quam talem reddunt non tantùm contrariorum oppoſitio, & continuus excrementorum proventus, ſed præterea vitæ fugacis celeritatem adaugent, illamque breviorem faciunt labores improbi, vigiliæ juges, curæ graves, effrænes ſenſuum cupiditatumque motus ac voluptates, ne dicam lethifera blandimenta quibus toti involuimur, & alia inopinatò occurrentia, à quibus omnibus corporis humani robur enervari, humidum primigenium vitæ fundamentum jacturam non levem pati, ſenium accelerari, apud omnes in confeſſo eſt, ſed præſertim gravibus parcendum curis, ſi vitam exoptas longam, quæ humanum corpus vehementer extenuant exſiccantque & perpetuis vigiliis conficiunt, ſomnum præpediendo vires deſtruunt, febres cujuſque generis accendunt, graviſſimis affectibus originem præbent, melancholiam ſuprà modum generant, calorem innatum reſolvunt peneque extinguunt, maximè ſi longo perſeverent tempore; Adeò ut verum ſit, curas tolle graves ſi diù vivere tibi ſit animus.

NON tantùm curæ graves & animi anxietates vitam breviorem reddunt, ſed præterea triſtitiæ ac mœrores continui, vitæ longitudinem præpediunt, & quò vehementiores ſunt eò plus periculi in ſe continent, tuncque curatu difficilia ſuccreſcunt mala: ab his enim non tantùm corpus noſtrum extenuatur ſed etiam macie paulatim contabeſcit, cor immodicè conſtringitur, & veluti gravi premitur onere, ſpirituum perit vigor, ingenium hebes fit, ratio impeditur. Liberum non eſt judicium, memoria labaſcit, omnes penè functiones tum animales tum naturales languent ac in vitio ſunt, ſangnineque ſuprà modum aduſto, præ ingenti hepatis calore, humores acriores redditi, febres omnis generis accendunt, tuncque totum corpus noſtrum à naturali evertitur ſtatu, ut ſic vitam ducentes continuis mœroribus plenam non vivere, ſed continuò mori dicendi ſint. Qui ergò vitæ longitudini ſtudet, cane pejus & angue fugiat ea quæ non aſpectu, aut auditu modò, ſed & mentis agitatione triſtia exiſtunt. Animus gaudens ætatem reddit floridam, & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa: unde à triſtitiâ feſtinat mors.

VITA, ſi eâ uti ſcias, licet longa non ſit, non omninò brevis eſt; Non enim tam anguſtis nos vitæ ſpatiis natura concluſit, non tam arctis conſtrinxit cancellis, ut non ſat amplum dederit homini & vivendi & benè collocandi tempus: nec tam citò ſuos deperdi fœtus patitur. Brevem vitam non accepimus ſed fecimus: nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus: præcipitat quiſque vitam ſuam & ſenium accelerat, qui præſentium tædio cruciatus, futuri deſiderio laborat; qui convivium amicitiæ philtrum fugit; qui meri potum præſertim annoſi Lyæi, non omninò ſenibus inſalubrem, damnat, cùm ſenibus vinum bibendum ſit ut juveneſcant; qui aquam ſuprà vinum extollit, cujus frequens potus non vitam reddit longiorem, imò breviorem; qui vitæ blanditias improbans inanibus & nihil juvantibus animi contentionibus optimum vitæ ſuæ tempus conſumit, ab animi pathematis ſanitas deterior; qui Veneri ſuprà modum ſacra facit, quæ immaturam ſenectutem accelerat, natiſque ut plurimùm non conſulit, ſed naſcituris; qui frigus aeremque nocturnum ſanitati maximè noxium non fugit; qui ſpiritus odoribus præſertim vini recreare neſcit; qui ludos ac mores quoſdam, quoad decet, anteactæ adoleſcentiæ in memoriam non revocat, difficillimum enim eſt corpore juveneſcere niſi priùs ingenio repueraſcamus; Qui hæc omnia ſpernit ridendo, licet tutiſſima ſint ad retardandam ſenectutem conſilia, ne dicam præcepta, non juveneſcit ſed citò ſeneſcit: ideò debent ab his in uſum revocari quos ſenectutis propemodùm adventantis formido ſollicitat atque angit.

NIHIL ergò ad vitam diutiùs & ſalubriùs ducendam magis conducit quàm magnâ cum jucunditate, & ſecuritate tempus deglutire: labitur occultè fallitque volubilis ætas, tacitiſque ſeneſcimus annis; Ut juventutem nemo percipit diſcedere ſed diſceſſiſſe, ita ſenectutem non ſentimus advenire ſed adveniſſe; cujus triſtes experiri imò ferre querimonias inviolatâ lege à nobis exigit natura. Senes igitur ſenectutem graviter tolerantes quærant lætari, gaudeant animi tranquillitate, cum amicis & familiaribus jucundè & frequenter converſari ſtudeant, præſertim cum juvenibus & benè valentibus, ex quorum familiari conſortio aliquid ſalubre contrahendo longævi, ut plurimùm evadunt: nec quieſcant, nec nimium moveantur; licet conſuetis laboribus ſint exercendi: cibis ſuavibus ac boni ſucci nutriantur, ad vires languentes reparandas ſpirituſque recreandos aliquantulùm diſſipatos: Vinum bonum ac generoſum pro potu habeant, quod illorum moribus auſteris medicina eſt: iram fugiant vitæ longitudini contrariam, ne incidant in affectus quoſdam funeſtos & calamitoſos, licet in quibuſdam morbis iraſci utile ſit; ſed præcipuè mentem habeant hilarem quæ vitam beatam & longam facit. Quantis capiatur illecebris qui hilarem ac jucundam duxit vitam ferè neminem latet, lætitia enim, præter quàm quod dolores corporis mitigat ac triſtioribus animi pathematis medetur, nativum excitat calorem, ſpiritus recreat purioreſque reddit, naturalem corroborat virtutem, in ſenibus maximè: floridam facit ætatem, juvenile corpus diù conſervat, vitam prorogat, ingenium acuit, & hominem quibuſlibet obeundis negotiis reddit aptiorem. Ideò qui vult diù vivere, vivat lætus; nam ſollicitudo præſentium rapit nobis præſens præripitque futurum; Fata ſinunt dum ſecuri vivimus.

Ergo ad retardandam Senectutem Hilaritas.

Proponebat Pariſiis PETRUS MARAIS, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.

